

cunia abundant, et modo indigent, multo magis velle ut lucrum moderatum ex mutuo perceptum sit licitum quam prohibitum: sic ubique et palam fere omnes confitentur: porro unusquisque de rebus suis prout sibi libuerit disponere potest. Alii consuetudinem in orbe catholico fere ubique receptam, etiam apud homines timoratae conscientiae, afferunt tanquam titulum sufficientem. Alii alias exponunt rationes, ut D. *de la Luzerne*, *Mastrosini*, etc.

Insuper addi posset quod si, in praesenti rerum ordine mutuum cum moderato lucro bonis Christianis non permitteretur, paulatim accideret omnia capitalia ab eis ad alios minus timoratos transitura esse: nam timorati a mutuo cum *interesse* legali refugientes, sunt parvi numero: mutuum ab aliis obtinere non possunt absque legali *interesse*: et si pecuniam habeant, eam mutuo dare non possent, ex hypothesi, cum stipulatione lucri. Ergo ingens paterentur discrimen et brevi ad completam deducerentur ruinam. Unde commune pro ipsis, ex circumstantiarum mutatione, nascitur damnum emergens aut periculum damni emergentis, sicque, salva Ecclesiae doctrina circa usuram prohibitam, sufficiens nunc datur ratio lucrum lege taxatum ex mutuo charitate non debito exigendi.

Saltem negari non potest hanc opinionem rationibus non spernendis esse fundatam, a multis Pontificibus, piis confessariis et doctoribus catholicis probatam, et in praxi fere ubique receptam: si autem confessarius indebitam restitutionem temere praescribens, damnum poenitentis reparare teneatur, ut communiter docent theologi, similiter et qui poenitentem ad se cum fiducia recurrentem a licito lucro retrahit.

His omnibus momentis ducti, firmiter persuasum habemus lucrum lege taxatum ex mutuo charitate non debito nunc prohibendum non esse, ac timoratos sapienter esse dirigendos, ne sua simplicitate et nimia confessarii rigiditate, detrimentum patiantur.

7° Cum autem duplex sit taxa legis, alia exurgit quaestio, quandonam scilicet liceat petere 6 pro 100, uti permittitur pro mutuis commercii. Haec enim mutua non

satis clare definiuntur, nec semper *materia civilis a materia commercii* facile discernitur. Nos autem censemus eum qui pecuniam suam retrahit e commercio ut tribuat alteri petenti, vel duos negotiatores rem inter se habentes 6 p. 100 exigere posse. Si privatus tribuat negotiatori pecuniam in ejus commercio impendendam, plures dicunt 6 pro 100 exigi posse propter pericula commercii, lucrum majus mutuatarii, et quia tale mutuum vulgo dicitur *prêt de commerce*. Haec sententia nobis probabilis videtur. Eam tamen non admitteremus, si dicta pecunia assecurata fuisset, et in eo casu non nisi 5 pro 100 permitteremus.

8° Interea definitivum sanctae Sedis humiliter expectamus iudicium, cui parati sumus ex totis praecordiis obtemperare.

CAPUT OCTAVUM.

DE CENSU, CAMBIO ET SOCIETATE, UBI ETIAM DE TRIPLICI CONTRACTU.

De his tribus contractuum speciebus in totidem dicemus articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CENSU (*Rente*).

Census sic dicitur a *censo* seu *aestimo*, quia bona civium olim aestimabantur, ut cum debita proportione tributa principi solverentur, unde tributa ipsa census vocabantur, sicut videtur, Matth. xxii, 17: *Licet dari census Caesari? an non?* Recte autem definitur: *Jus annuam pensionem ex re vel persona frugifera percipiendi*. Nomine census (*rente*) quandoque intelligitur ipse contractus dans jus ad pensionem et saepius quotitas singulis annis solvenda. Qui ad solvendam pensionem se obligat, dicitur *censuarius*, vel *debitor* aut census *venditor*; qui vero jus ad illam percipiendam acquirit vocatur *censualista*, *creditor*, *emptor* census.

Dicitur 1° *jus annuam pensionem, etc.*; censalista enim substantiam rei non emit, nec proinde illius fit proprietarius, sed tantum quodam modo usufructuarius: imo fructus rei proprie non emit, bene vero jus ad eos percipiendos: porro magnum est discrimen inter utrumque, emere fructus et emere jus ad fructus; si enim ipsi fructus emerentur, omnes in globo per fictionem considerari deberent, et pretium valori illorum æquale dari deberet: at illud impossibile est præsertim in censu perpetuo, sicut impossibile foret omnes fructus agri in perpetuum sic per fictionem collectos aestimare; e contra jus ad fructus annuos est quid hic et nunc existens, et juxta prudentum hominum judicium aestimabile: ergo.

Diximus 2° *de re, etc.* Res autem illa potest esse vel mobilis, ut greges, vel immobilis, ut ager.

Dicitur 3° *vel de persona frugifera*, non ipsa venditur persona, nec proprie ipsius labor vel industria, sed tantum jus ad pensionem annuam ex labore vel industria ejus percipiendam.

Census in genere dividitur in reservativum et consignativum. Reservativus (*rente foncière*) est pensio annua in pecunia vel in fructibus percipienda, quam aliquis sibi reservat in re cujus dominium alteri transfert, sive donatione sive venditione: v. g., do tibi agrum meum sub conditione quod quindecim modios tritici vel quinquaginta francos quotannis mihi solvas.

Census consignativus (*rente constituée*) est jus quod, mediante pretio, quis acquirit annuam percipiendi pensionem, ex re vel persona alterius, v. g.: mille francos tibi trado, ut quinquaginta francos singulis annis mihi retribuas. Consignativus appellatur, quia censuarius jus illud censualistæ consignat.

Census etiam dividitur: 1° in realem, personalem et mixtum; 2° in perpetuum et temporarium; 3° in redimibilem et irredimibilem; 4° in pecuniarium et fructuarium.

Census *realis* ille est qui constituitur in re aliqua frugifera mobili vel immobili, ex qua annualis pensio solvenda est; illam immediate afficit, eamque semper sequitur, do-

nec legitime redimatur, vel destruaturs res in qua constituitur.

Personalis est ille qui personam directe et immediate afficit; in illius industria et labore fundatur, et in bona ejus non nisi mediate cadit. Itaque in priori casu, censalista habet actionem in rem ipsam censu gravatam; in posteriori vero, actionem habet in censuarii personam, et defectu personæ tantum, in illius bona, etiamsi census esset per hypothecam assecuratus, quia hypotheca est duntaxat contractus accessorius.

Census *mixtus* est ille qui personam censuarii et in bona ejus simul constituitur, ita ut, re pereunte, persona maneat obligata, et creditor jus suum integrum servet: tales sunt ordinarie census qui nunc creantur.

Census *perpetuus* est jus ad pensionem perpetuam, quod sola redemptione legitima exstingui potest.

Temporarius vero est jus ad pensionem annuam, sed per quoddam solummodo tempus duraturam, sive tempus illud sit certum, v. g., viginti annorum; sive sit incertum, ut vita censualistæ, vel censuarii, vel alterius personæ; sic census vitalitius qui appellatur *rente viagère*; hujusmodi census, adveniente tempore statuto, certo vel incerto, exstinguitur absque ulla capitalis restitutione.

Census *redimibilis* ille est qui ad nutum unius vel utriusque contrahentis redimi potest, juxta conditiones stipulatas, v. g., si censuarius facultatem habeat a censu quem solvere tenetur, capitale refundendo, se liberandi, aut si censalista eum ad censum sic redimendum cogere possit. Hæc postea examinabimus.

Census est *irredimibilis*, si, ex statuto, ipse censuarius ab illo se liberare non possit, restituendo capitale. Dispositio ista expresse in novo Codice, art. 1911, prohibetur.

Census est *pecuniarius*, quando in pecunia pensio est solvenda: est autem *fructuarius*, si in fructibus pensio solvi debeat, v. g., tot modii tritici, vel tertia, quarta aut quinta pars fructuum agri, aut prædii.

Certum est 1° censum reservativum, sive perpetuum, sive temporalium, sive pecuniarium, sive fructuarium, esse licitum; qui enim proprietatem rei transfert, partem fructuum aut illius partis valorem sibi reservare potest, modo pretium pro ratione hujus reservationis imminuat: hoc evidentissime patet, et ita Joseph cum Ægyptiis fecisse legitur, Gen. XLVII, 23 et 24.

Certum est 2° censum realem fructuarium esse licitum; hujusmodi enim census nihil aliud est quam usufructus aut pars usufructus alicujus rei: atqui procul dubio licet alicujus rei usumfructum aut partem usufructus emere: ergo.

Certum est 3° censum realem pecuniarium esse licitum: ille enim census est licitus, si quis vendere possit jus ad pensionem annuam ex re sua solvendam: atqui unusquisque jus ad talem pensionem ex re sua solvendam vendere potest; nam 1° Martinus V, Calixtus III, Nicolaus V et Pius V hujusmodi censum approbarunt; 2° jus illud tanquam aliquid pretio æstimabile donare potest, ut multi quotidie faciunt: atqui tam illud vendere quam donare potest; siquidem in illo reperiuntur ea quæ ad venditionem essentialiter requisita sunt, nempe utriusque consensus, merx seu quid æstimabile, et pretium determinatum; 3° unusquisque vendere potest jus ad partem fructuum rei suæ, ut nemo diffitetur: atqui eadem ratione vendere potest jus ad fructuum valorem; nam eodem modo de valore morali fructuum ac de ipsis fructibus pacisci licet: ergo.

Et vero, si hujusmodi census non esset licitus, maxime quia censalista per decursum temporis plus accipit quam dedit, v. g., si 5 pro 100 singulis annis percipiat, post triginta annos 3000 pro 2000 habebit: atqui hæc ratio nulla est, nec arguit injustitiam in tali contractu; nam quicumque rem frugiferam emit, ita per decursum temporis plus accipit quam dedit, tamen non est injustus: atqui censalista in casu nostro vere emit jus ad pensionem: quamvis ergo plus decursu temporis accipiat quam dedit, non ideo est injustus.

Præterea, pecunia sic per minutas partes et intra longissimum duntaxat temporis spatium recuperanda, non ejusdem est valoris, juxta omnium hominum æstimationem, ac summa integra quæ tota simul datur et tota simul accipitur, ut in mutuo; multis periculis objicitur, omnia impediuntur lucra quæ aliter fieri legitime potuissent: infinitum est igitur discrimen inter istiusmodi contractum et mutuuum.

Infra in speciali quæstione de censu vitalitio tractabimus.

Si qua ergo supersit difficultas, est tantum circa census personales et mixtos, sive temporarios, sive perpetuos: itaque sit

PROPOSITIO.

Census personales et mixti in perpetuum creati, sunt liciti, si debite adsint conditiones.

Prob. 1° ex unanimi theologorum consensu. Quamvis enim acriter olim circa talem contractum disputatum fuerit, ubique nunc publice docetur et in praxi tenetur illum ex natura sua nihil habere vitii: atqui valde temerarium esset dicere illicitum et injustum esse contractum qui sic ubique ut licitus habetur: ergo.

2° Si contractus ille foret illicitus, certe quia in eo usura lateret: atqui usura in illo non latet: usura quippe in solo mutui contractu reperitur, at contractus de quo hic agitur, nullam habet mutui rationem, sed tantum venditionis et emptionis; in mutuo enim pecuniæ summa datur cum obligatione eandem reddendi tempore statuto, vel ad mutuantis voluntatem: at nihil horum est in censu consignativo personali; censalista enim eodem modo pecuniam censuario tradit, quo emptor pretium mercis venditori solvit; in possessionem et dominium accipientis penitus transit pecunia sic soluta: ergo. *Ita nunc communiter theologi contra de Lugo, disp. 27, n. 25, multos alios referentem, et Concina, t. 7. Census mixti a fortiori sunt liciti.*

Diximus si debite adsint conditiones. Præter ea quæ lege civili statuuntur et attente servanda sunt, eadem requiruntur jure naturali conditiones ad hujusmodi censum, quæ ad venditionem et emptionem sunt necessariae, scilicet: 1° bona fides in utroque contrahente et plena libertas; 2° sufficiens assecuratio ex parte censuarii erga censualistam pro censu solvendo; 3° justum pretium. Pretium istud ex communi hominum æstimatione jure naturali determinatur, sicut in omnibus aliis venditionibus: unde crescere potest vel decrescere secundum varias quæ sæpe occurrunt circumstantias.

Census iste olim fuit in Gallia 10, 12, 13 pro 100, ut videtur in Extrav. Martini V. Sed Ludovicus XIV statuerat, anno 1665, ut 5 tantum pro 100 acciperentur: hæc dispositio nunc etiam existit in lege condita die 3 septemb. an. 1807 (*Bulletin*, n. 6740); statuitur enim quod *int. resse* conventionale sine ulla exceptione 5 pro 100 excedere non possit in materia civili. Ergo.

In censibus olim creatis, debitor unum ex quinque a die 22 septembris anni 1796 (1^{er} *vendémiaire*, an v) retinere potest, et quidem legitime; censualista enim tributa ratione census non solvit, nec ulla sustinet onera.

Attamen 5 pro 100 absque ulla restrictione nunc stipulari licet; lex enim huic dispositioni non opponitur, et sic inter timoratos communiter receptum est.

Non licebat olim censum fructuarium pro summa pecuniæ stipulari; nam cum valor fructuum crescere possit, leges civiles talem prohibuerant contractum propter usuræ periculum: at prohibitio ista non fuit renovata: ergo non existit, ac proinde non videtur cur censum fructuarium stipulari non liceret, modo 5 pro 100 moraliter non excedat; valor fructuum potest quidem crescere, sed potest etiam decrescere: itaque, si census secundum pretium commune et medium determinetur, nulla erit injustitia.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. S. Pius V census personales reprobavit. Ergo.

R. Dist. ant. Census personales reprobavit, id est, eos

Pontificia auctoritate prohibuit, *conc.*; definivit eos jure naturali vel divino illicitos esse, *nego ant.* Equidem non diffitemur Pium V sua auctoritate eos census prohibuisse; timebat enim ne in illis usura lateret; sed negamus quod unquam definierit eos esse jure naturali vel divino illicitos; nam 1° hoc in ipsamet bulla *Cum onus*, non reperitur; 2° Benedictus XIV, de Synodo diœcesana, lib. 20, cap. 5, num. 5, testatur eundem Pium V, supplicante catholico rege Philippo II, indulsisse Hispanis ne ad exactam constitutionis observationem astringerentur, et ab eadem obligatione contrario usu, seu legitime præscripta consuetudine, cæteras nationes eximi potuisse: declarat insuper nullam hactenus hac de re (de censu personali) prolatam esse Ecclesiæ sententiam: ergo hæc S. Pii V constitutio habet tantum vim legis positivæ, ac proinde non obligat ubi non fuit recepta, nec ubi per usum contrarium jam est abolita: porro constitutio nunquam fuit recepta in Gallia, in Hispania, in Belgio nec in Germania; quidam testantur eandem in Italia et etiam Romæ esse abrogatam, atque census personales ibi quotidie creati: ergo.

Obj. 2°. Attento jure naturali, census ex utraque parte redimibilis non repugnat: attamen non alienatur capitale. Ergo.

R. 1°. Plures negant majorem et contendunt hujusmodi censum juri naturali repugnare, quia nihil aliud est quam mutuum cum lucro stipulato. 2° Alii, fatentes illum ex natura sua licitum esse, dicunt non esse permittendum in præxi ob periculum usuræ; sed negant minorem et volunt capitale realiter alienari: supponunt enim censuarium et censualistam bona fide contractum inire. In ea hypothesi censuarius intendit venditionem census; censualista intendit illum emere: ergo fit vera mercis et pretii alienatio, licet, ex conventionione, ille contractus ad nutum utriusque contrahentis sit rescindibilis, sub conditione refundendi capitale et a percipiendis censibus annuis cessandi.

Obj. 3^o. Vendere censum personalem nihil aliud est quam ipsam censuarii personam aliquo modo vendere et obstringere : at illud repugnat : ergo.

R. Nego. maj. Vendere enim censum personalem nihil aliud est quam vendere jus ad pensionem ex industria et labore censuarii obtinendam : atqui hoc non est vendere ipsam personam ; qui opera sua alteri per contractum obligat, non ideo suam personam vendit : ergo *a pari* nec qui censum personalem vendit. Cum autem ille census, licet personalis, bona censuarii mediate afficiat, ad ipsius hæredes pro ratione hæreditatis transit, nisi legitima redemptione exstinguatur.

Obj. 4^o. Emere censum personalem est dare pecuniam præsentem pro alia pecunia per partes recipienda : atqui talis contractus verum est mutuum : ergo, seclusis titulis extrinsecis, nullum incrementum percipere licet.

R. Nego. min. Ibi enim non est mutuum, si vera sit emptio : atqui vera est emptio, ut in probatione propositionis ostendimus : non ipsa vero emitur pecunia per partes recipienda, sed jus ad pensionem, sicut in censu reali fructuario non ipsi fructus collective sumpti emuntur, sed jus ad fructus : ergo. Sic ruunt fundamentales adversariorum rationes.

Queritur 1^o utrum census redimi possit.

R. 1^o. Census ex natura sua non est essentialiter redimibilis ; nam census est vera venditio, ex dictis : atqui venditio non est essentialiter redimibilis : est, e contra, ex natura sua irredimibilis ; qui enim rem aliquam vendidit, non potest, secluso speciali pacto, ab emptore invito eam redimere : ergo *a pari*, etc.

R. 2^o. Jure positivo statutum fuit censum ex parte censuarii semper redimi posse ; ita olim leges civiles habebant, et hæc dispositio expresse renovata fuit, *Cod. civ. art. 1911* ; semper igitur censuarius potest pro nutu a censu se liberare, capitale refundendo. Inter se tamen convenire possunt contrahentes quod census ante tempus determinatum non redimatur ; sed tempus istud ultra decem annos pro-

trahi non potest in censibus pro pecunia constitutis, *art. 1911* ; nec ultra triginta annos in censibus reservatis, seu pro boni immobilis pretio fundatis, *Art. 530*.

In utroque casu similiter convenire possunt contrahentes redemptionem fieri non posse, quin censualista certo antea tempore præmonitus fuerit : si vero istius generis conventio non existat, censuarius pro libitu capitale refundere poterit et sic liberabitur.

Hospitia, fabricæ ecclesiarum aliæque communitates summas pecuniæ in censuum extinctionem receptas, ad novos census creandos applicare non possunt sine approbatione præfecti, ubi summa 500 fr. non excedit ; ministri interioris, si eadem summa 2000 fr. non superet : si vero summa 2000 fr. sit major, approbatio Præsidis reipublicæ est requisita, vi decreti diei 16 julii 1810 (*Bulletin des lois*, n. 5733).

Queritur 2^o utrum censualista debitorem cogere possit ad redimendum censum.

R. 1^o. Jure positivo eum in triplici casu sic cogere potest, scilicet, 1^o si per duos annos censum debitum non solvat ; 2^o si promissam assecurationem, hypothecam, v. g., vel cautionem non tradat, *art. 1912* ; 3^o si foro cedat, vel debitis solvendis fiat impar (*tombe en déconfiture*). *Art. 913*. Dispositiones illæ legis civilis, æquitate naturali fundatæ clare videntur. Ergo censualista in his casibus potest, tuta conscientia, debitorem ad censum redimendum cogere. Sed, triplici illo casu excepto, facultatem eum sic cogendi jure positivo non habet.

R. 2^o. Plures contendunt non repugnare, solo attento jure naturali, censum ex parte emptoris seu censualiste redimibilem esse, sicut ex parte venditoris ; nam ille contractus est legitimus si nulla in illo reperitur injustitia : atqui fieri potest ut nulla in eo contractu reperiat injustitia ; nulla enim est injustitia ubi perfecta utrinque servatur æqualitas : atqui perfecta servari potest æqualitas in censu ex parte emptoris redimibili, sicut in omnibus venditionibus ; quando enim venditor facultatem redimendi sibi reservat, non ideo tollitur æqualitas, quia præ-

tium rei pro ratione oneris imminuere censetur : emptor autem deterioris non est conditionis quam venditor, et pretium rei pro ratione oneris augere potest : ergo perfecta in eo casu existere potest æqualitas, sed requiritur ut emptor rectam habeat intentionem, nempe ut vere censum emere velit, et non tantum pecuniam in mutuuum tradere. Ergo. Ita *Lessius*, lib. 2, c. 22, l. 56; *Layman*, lib. 3, tract. 4, c. 18, n. 8; *S. Ligorius*, lib. 3, n. 843, et plures alii; ita etiam respondit cardinalis Caprara ad episcopum Carcassonnensem, die octava maii anni 1807.

Quidquid sit de illa opinione speculative sumpta, in praxi admitti non debet; quia illa semel admissa, unusquisque lucrum ex pecunia alteri tradita percipere posset, quamvis facultatem eam repetendi semper haberet, dummodo mutuuum non intenderet, sed censum emere vellet; tunc autem Ecclesiæ doctrina circa usuram nihil aliud esset quam vana subtilitas. Ergo. Ita valde communiter *theologi*. Imo defensores alterius sententiæ fatentur illam in praxi non esse tutam. Ergo.

Quæritur 3^o an liceat censum infra pretium quo fuit creatus emere, v. g. : Petrus censum 50 fr. vendidit Paulo pro 1000 fr.; potestne illum 800 vel 900 fr. redimere, si Paulus consentiat?

R. 1^o. Si Petrus a censu se liberare intendat, et tamen contrarium simulet ut imminutionem a Paulo obtineat, vel si indigentia Pauli utatur ut minus solvat, peccat contra justitiam et ad restitutionem tenetur; nullum enim habet titulum ad hanc capitalis partem quam retinet.

R. 2^o. Si censum redimere sibi non proponat, et illum redimere non possit quin aliquod patiatur detrimentum, vel si malit pecuniam non habere quam censum juxta primam creationem redimere, rationabilem et proportionatam petere potest imminutionem, nam revera cedit aliquid pretio æstimabile.

R. 3^o. Si census sufficienter non sit assecuratus, vel aliter solutu sit difficilis, persona a censuario distincta illum minori emere potest pretio; nam periculum quod existit vel prævidetur exstiturum pretio est æstimabile, et pro illo

pacisci licet. Idem dicendum, si hæc persona hujusmodi census non æstimet, et sincere præferat eos non habere quam supra tale pretium emere; illi enim census sunt velut merces : sed qui mercibus non indiget, nec eas desiderat, non teatetur illas emere secundum valorem quem respectu aliorum haberent, nam, ut diximus supra, p. 340, *merces ultronæ vilescent*. Ita solum spectando jus naturale, *Sainte-Beuve*, tom. 5, cas. 40; *Pontas*, v^o *Achat*, cas. 6; *Collet*, *Billuart*, etc., ubi de censibus tractant. Caveat tamen emptor ne alterius utatur miseria et angustiis ut lucrum faciat.

Diximus solum spectando jus naturale; nam si lex positiva obstaret, sic contrahere non liceret; at lex positiva ob stare non videtur ne census jam creati infra capitale redimantur; in lege enim anni 1807, supra citata, agitur tantummodo de contractu quo pecunia datur cum stipulatione interesse : ergo.

In ipsa autem census creatione tali imminutione uti non licet, quia lex positiva id prohibet, ut vidimus; sed cum taxa legis in favorem venditoris seu censuarii constituatur, ne videlicet necessitate pressus viliori pretio censum vendat ut pecuniam obtineat, minime contra legem peccabit si majori pretio censum vendat, si, v. g., 1000 fr. obtineat pro censu 40 fr. *Hoc omnes fatentur*.

Quæritur 4^o an liceat census annuos in gubernio fundatos currenti pretio emere (*au cours de la Bourse*).

R. Id procul dubio licitum est; nam illi census publice venduntur et emuntur tanquam merces ordinariæ, non solum in Gallia, sed in Anglia in aliisque regionibus; pretium eorum crescit aut decrescit secundum circumstantias, et prout homines communiter judicant majus vel minus in censibus istis existere periculum : verum igitur censuum illorum pretium ex communi hominum estimatione determinatur : ergo illos currenti pretio emere et vendere licet; sicque illorum negotiatio per se licita est, sicut negotiatio mercium. Multi etiam timorati hanc eligunt viam fructuose pecuniam suam collocandi; census hujusmodi habent velut proprietates quas emunt et quas postea vendunt vel retinent pro nutu. Ergo.

Quod de censibus dicitur, pari ratione dicendum est de actionibus (*actions de la Banque*); pecunia enim non datur ad terminum sicut in mutuo, sed verum jus ad redditus annuos pluris vel minoris emitur secundum circumstantias; ipsi etiam redditus sunt modo majores, modo minores, et aliquod semper incurritur periculum: ergo realis existit titulus ad lucrum percipiendum, ac proinde legitimæ sunt illæ actiones dictæ *de la Banque*, et legitima est in se earum negotiatio, sicut negotiatio censuum gubernii.

Queritur 5º quid sentiendum sit de negotiatione actionum quæ constituuntur in viis ferreis, in ephemeridis, in operibus industrialibus, etc., vel de collocatione pecuniæ *aux caisses d'épargnes, banques de prévoyance, etc.*

R. 1º. Negotiatio actionum est licita: illæ enim actiones sunt jus ad emolumenta sperata, pretio determinato et justo acquisita: jus istud est sane pretio æstimabile. Ergo.

R. 2º. Collocationes pecuniæ in quæstione expositæ pariter sunt licitæ: societates enim quibus committuntur dictæ pecuniæ, vendunt collocantibus jus ad pensionem annuam redimibilem et quandoque insuper jus ad emolumenta indeterminata partienda. Si pecuniam a se alienatam iterum habere volunt, societates habendæ sunt ut redimentes census a se venditos, quos sæpe ad alios statim transferunt: fit ergo vera venditio et emptio census. Imo S. Pœnitentiaria, die 25 februarii 1836, specialiter de collocatione *aux caisses d'épargne*, interrogata, respondit, *prout jam alias responsum fuit, nihil ob stare.*

Ubique, omnibus approbantibus, fiunt hujusmodi pecuniarum collocationes.

Queritur 6º quid sentiendum sit de censu vitalitio, *rente viagère.*

Census vitalitius, sic dictus quia pendet a vita, ille est qui per mortem unius aut plurium personarum finiendus est, v. g.: do tibi 1000 fr. ut 100 mihi solvas singulis annis quoad vixero, vel quandiu ego et frater meus vixerimus.

Ille contractus, juxta omnes, ex natura sua est licitus;

est enim contractus aleatorius sicut sponsio: atqui contractus aleatorius ex natura sua est licitus; ergo et contractus vitalitius, modo æqualitas et bona fides utrinque serventur. Contractus hujusmodi frequentissimus est inter homines, et jure positivo approbatur. *Art. 1968 et seq.*

Lex pretium hujus census non determinat; declarat e contra, *art. 1976*, quod partes contrahentes illud pro suo beneplacito determinare debeant: habenda est autem ratio variarum circumstantiarum, ætatis, sanitatis, complexionis personæ super cujus caput constituitur census: ordinarie census ille est ab 8 usque ad 15 pro 100, prout major vel minor est probabilitas proximæ mortis censualistæ.

Censuarius non habet facultatem a censu isto se liberandi quantumcumque sit onerosus, etiamsi capitale offerret et annuas pensiones jam solutas relinqueret, nisi censualista in id consentiat. *Art. 1979.* At, vice versa, censualista cogere non potest censuarium ad refundendum capitale et censum exstinguendum, excepto tamen casu in quo promissas non daret securitates, *art. 1977*; non vero si solummodo pensiones solvere omitteret: in hoc enim ultimo casu exigere posset duntaxat ut bona debitoris venderentur, et sufficiens collocaretur summa ad solutionem census assecurandam. *Art. 1978.*

Si census vitalitius titulo gratuito sive per donationem inter vivos, sive per testamentum, constitueretur, iisdem subjiceretur regulis ac ipsæ donationes: eodem modo igitur nullus, rescindibilis vel reductibilis esset. *Art. 1969 et 1760.*

Census titulo oneroso constitutus potest esse vel in favorem illius qui pecuniam aut rem aliquam ad censum emendum dedit, vel in favorem alterius qui pretium non dedit, et tunc respectu illius est donatio gratuita: attamen in eo casu ille contractus regulis pro donationibus institutis non subjicitur, exceptis incapacitate et reductibilitate; non est enim in se gratuitus, cum pretium ipsius solvatur, sed in quantum duntaxat alteri personæ applicatur. Ergo. *Art. 1973.*

Si tempore quo census super caput alicujus personæ

constituitur, jam persona illa sit mortua, nullus est contractus; causa enim illius est falsa. Item nullus est, si persona intra viginti dies ex eo moriatur morbo quo jam detinebatur tempore creationis census. *Art. 1974 et 1972.*

Si vero morbus hoc tempore non existeret, et persona postridie moreretur, contractus nihilominus esset validus et census pro uno die tantum deberetur, juxta proportionem factam inter omnes unius anni dies, nisi forte ex speciali conventionem census per anticipationem (*d'avance*) solvi deberet; tunc pro anno solvendus esset. *Art. 1980.* Pariter, si persona, licet mortali jam correpta morbo tempore contractus, non nisi post viginti dies moriatur, contractus erit validus. *Art. 1975.*

Census vitalitius per mortem civilem censualistæ non exstinguitur, sed tantum per mortem ejus naturalem. *Art. 1782.* Si census ille haberi possit tanquam pensio alimentaria, civiliter mortuus eum percipere poterit; si vero non sit pensio alimentaria, ad hæredes civiliter mortui immediate transit: id sequitur ex art. 25 Cod. civ.

Qui jus ad censum vitalitium habet, illius solutionem exigere non potest nisi sufficienter ostendat se adhuc existere, vel mortuam non esse personam a cujus vita census ille pendet. *Art. 1983.* Qui est absens censetur mortuus donec contrarium probetur: præscriptio contra ipsum currit, et per quinque annos absolvitur pro redditibus annuis (*arrérages*), et per triginta annos pro ipso censu. Hæc equidem in foro externo locum habent, juxta principia quæ exposuimus ubi de præscriptione. *Art. 2277.*

Xenodochia accipere possunt sub censu vitalitio summas pecuniæ quas pauperes in ipsis viventes tradere volunt, modo census 10 pro 100 non excedat.

Sola præfecti approbatio sufficit, si summa 500 fr. non sit major; si excedat 500 fr. approbatio Præsidis reipublicæ necessaria est. *Décret de 1806, Bulletin, n. 1670.*

Queritur 7^o quid sentiendum sit de censu ad tempus determinatum, v. g., pro decem aut viginti annis.

R. 1^o. Census realis ad tempus determinatum est licitus, si vera sit intentio emendi et vendendi; nam, sicut

venditio fructuum aut partis fructuum agri in perpetuum est licita, pariter illicita esse non debet eadem venditio pro tempore determinato. Licet agrum pro pluribus annis locare: ergo et fructus ejus pro pluribus annis vendere. Ita card. *de Lugo*, disp. 26, n. 37, et multi alii. Sed requiritur ut vera sit intentio vendendi et emendi; si quis enim pecunia indigens fructus prædii sui offerret ut pecuniam obtineret, ordinarie ille contractus ut purum haberi deberet mutuum.

R. 2^o. Census personalis ad tempus determinatum ex solo jure naturali judicandus est. Si ad longum tempus constituatur, v. g., ad viginti annos, non videtur illicitus; nam census realis esset licitus, ut modo probavimus: atqui eodem modo census personalis debet esse licitus; tam enim licet fructus industriæ et laboris pro tempore determinato vendere quam fructus agri: ergo. Sic *Lessius*, c. 22, n. 43; *Collet*, in *Cont. Tournely*, de Censibus, art. 4, concl. 2, etc.

Multum tamen cavendum est ne in hujusmodi censu lateat et pallietur usura: talis igitur contractus non facile admittendus est in praxi, et nunquam, si ad breve sit tempus, v. g., ad tres, quatuor aut quinque annos, nisi legitimus existat titulus quo aliquid supra sortem in mutuo percipere liceret; alioquin omnis usura facile excusari posset.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CAMBIO.

Cambium idem est ac permutatio (*gallice, le change*), et, licet in diversis rebus locum habere possit, mos tamen prævaluit ut in pecuniis tantum sic diceretur, et recte definitur: *Permutatio pecuniæ pro pecunia diversa cum lucro camporis* (*gallice, du changeur*).

Pecunia diversa esse potest 1^o ratione quantitatis, si nempe minor detur moneta pro majori; 2^o ratione qualitatis, si, v. g., novi pro antiquis dentur nummi ejusdem quantitatis; 3^o ratione speciei, si, v. g., argentum pro cu-

preo, aurum pro argento detur; 4^o ratione loci, si videlicet detur pecunia præsens pro absente aut vice versa.

Differt a venditione in qua fit mutatio rei pro pecunia vel pecuniæ pro re aliqua; differt etiam a mutuo; nam 1^o mutuum habere potest pro objecto res quaslibet usu consumptibiles, et cambium solummodo circa pecuniam exercetur; 2^o mutuum fit ad aliquod tempus, et cambium statim consummari potest, dando pecuniam præsentem pro pecunia præsentem; 3^o in mutuo res ejusdem speciei et qualitatis reddi debet, non vero in cambio.

Duplex distinguitur cambium, siccum seu fictum, et reale. Cambium *siccum*, ita dictum quia non habet humorem ex quo fructum producere valeat, est illud quo fingitur pecuniam de loco in locum transferri, dum revera non transfertur. Quia leges civiles mutuum cum stipulatione lucri olim non permittebant, hic modus cambiendi ad palliandum usuram fuerat excogitatus; nunc autem ad tale effugium non recurritur.

Cambium *reale* dicitur quando reipsa pecunia pro pecunia mutatur, et duplex est, minutum scilicet et locale seu per litteras. *Minutum* est illud quo mutatur pecunia præsens cum pecunia præsentem, v. g., æs cum argento, argentum cum auro, moneta extranea, Hispaniæ, Angliæ, etc., cum moneta Galliæ, et vice versa.

Cambium *locale* seu per *litteras* est illud quo mutatur pecunia præsens cum absenti, vel absens cum præsentem, v. g., accipio Parisiis pecuniam quæ Lugduni mihi debetur, vel, e contra, solvo Parisiis pecuniam quam debeo Lugduni. Distinguitur adhuc cambium *temporale* seu ad terminum, in eo consistens ut campsor vel mercator hodie det pecuniam ea lege quod, tali elapso tempore, v. g., his aut illis celebratis nundinis, reddatur cum majori vel minori lucro, prout distant nundinæ assignatæ. Cambium istud aliquando vocatur Lugdunense, Francofurtense, Nannetense, etc., e locis ubi exercetur. Notissimæ sunt illæ cambii litteræ (*lettres de change*). Tres in eis saltem necessario interveniunt personæ, nempe ille qui pecuniam transferendam solvit (*le donneur*); qui onus pecuniam

transferendi suscipit, litterasque cambii tradit, est campsor (*banquier*); et ille ad quem litteræ diriguntur, *le correspondant du banquier*. Qui litteras cambii habet easque præsentat, dicitur *le porteur*: eas alteri transferre potest inscribendo: *Payez à l'ordre de****, et vocatur *endosseur*. His notatis,

Quæritur 1^o utrum cambium sit licitum, seu utrum in cambio lucrum percipere liceat.

R. 1^o. Certum est cambium siccum nunquam fuisse licitum, nihil enim aliud erat quam mutuum palliatum.

R. 2^o. Idem dicendum est de cambio temporali seu ad tempus determinatum, ut patet: lucrum ex illo perceptum licitum esse non potest nisi ob causam extrinsecam, quæ tamen nunc communiter adest in nostra societate, uti, occasione mutui, jam advertimus.

R. 3^o. Cambium reale, sive minutum sive locale, per se licitum est; valde enim utile est societati et nihil præ se fert inordinati. 1^o Valde utile est societati: multi namque sunt qui minutas quærunt pecunias pro majoribus, vel majores pro minutis, v. g., argenteas pro æreis, aureas pro argenteis; multo plures sunt qui indigent ut pecunie suæ in loca remota transferantur, vel ab aliis locis referantur: hæc autem commodissime fiunt per cambium, sicque remotissimæ urbes promptum secum habent commercium. Ergo. 2^o Nihil præ se fert inordinati; inordinatio quippe veniret ex defectu tituli legitimi ad percipiendum lucrum: atqui campsor legitimos habet titulos ad percipiendum lucrum; ars enim campсорia sumptuosa est et periculosa: 1^o sumptuosa; ingentes enim campсор semper habere debet pecunias ad cambium paratas, et ab omni alio lucro sejunctas; famulos et ministros conducere, correspondentes in diversis regionibus habere, multosque alios sumptus facere tenetur. 2^o Est periculosa, tum ex parte imminutionis quam identidem moneta subit in variis regnis, tum ex parte furum et latronum, tum ex parte debitorum qui, sive infortunio, sive mala fide, solvere nolunt aut nequeunt et foro cedunt (*font banqueroute*): certe hæc omnia sunt pretio æstimabilia. Ergo.